

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0273

0271

0277

0267

0282

Post hoc disposuerunt se ad procedendum contra Jerusalem: in primis ergo calendis Septembbris aggressi sunt iter, et transcenesis multis regionibus multisque civitatibus expugnatis per oram maris in Syriam venerunt et ad Tripolin civitatem magnam et munitissimam super mare sitam accesserunt, ut eam expugnarent. Tripolitani autem nostris obviam in bellum exierunt, sed statim divinitus territi terga vertentes in civitatem redierunt. Cum autem aliquamdiu civitatem obse-
dissent, coepit populus noster murmurare prae labore et anhe-
latione ad Jerusalem. Erat etiam differentia illa inter eos, quod nobiles et principes et potentes omnem locum subjugare intendebant usque Jerosolymam, plebeji autem et vulgus Je-
rosolymam primo subjugandam esse opinabantur et ex ea per circuitum terram oppuguandam. Principes ergo populo satis-
facere volentes solverunt a Tripoli obsidionem et per oram maris descendentes tertia die ad Berytum civitatem magnum maritimam venerunt. Berytus olim Romana erat colonia, ut Jeronymus de vita et obitu Paullae dicit. Nunc autem est Soldani, in eo est portus negotiatorum, Sarracenorum et Christianorum. Inde ad Sidonem civitatem venientes et Tyrum transeuntes in ora maris eas civitates magnas et munitas ad repugnandum paratas invenerunt. Consequenter autem pro-
cedentes in planitem Ptolemaidis civitatis magnae et fortissimae maritimae processerunt. Siluit autem omnis Palaestina maritima in conspectu exercitus nostri et in timore grandi stabant. Uterius venerunt juxta montem Carmeli, deserentes Galilaeam ad laevam, et pertranseuntes Caesaream Palaestinae ad mare sitam non longe a Caesarea in campo castra metati sunt; ibi dum essent, columbam desuper exercitum volantem accipiter unus graviter percussam dejecit, circa quam repertae sunt litterae, quas deferebat, talis sententiae: Rex Acharon duci Caesareae salutem: generatio canina, gens contentiosa venit, contra quam per te et alios legem tuam defende, idem annun-
tia aliis civitatibus. Haec epistola ad manus nostrorum prin-
cipum devenerat. Sunt etiam columbae in orientalibus regionibus regum nuntiae, ut patet Part. II, fol. 85.

Deinde moverunt castra, et tertia die non longe a Joppe venerunt, juxta quam in campo consederunt. Compertum

0262

0322

0222

0372

0172

0772

Ende

Anfang

